



C A P I T I S X I V.

Argumentum, partitio, analysis.

Postquam Corinthiis exposuit, quam necessaria quamq; utilis sit charisma-tum inæqualitas: & quod charitati maximè sit studendum: nunc tertio docet, quod etiam interrogasse videntur, quatenus dono prophetiae & lingua-rum in ecclesia uti debeant: sic nimirum, ut linguae cedant prophetiae: seu, ut magis prophetare, quam linguis loqui studeant in cœtibus. Quemadmodum igitur prius charismata omnia contulerat cum virtutibus cardinalibus, & has inter se: ita nunc duo præcipua charismata, linguarum & prophetiarum, de qui-bus videntur emulationes inter Corinthios præcipue fuisse, invicem comparat: & prophetiam utiliorem, magisq; necessariam ecclesiae quam linguas esse varijs argumentis demonstrat.

Caput seco in duas partes. Prior est collatio prophetiae, & linguarum, usq; ad vers. 26. Altera præcepta tradit de ḡraziā publica, seu de forma sacrorum conventuum utiliter instituenda, usq; ad finem.

PRIORIS partis pro-
positio est: prophetia
præstat dono lingua-
rum: seu, magis stu-
dete, ut prophetetis,
quam ut linguis lo-
quamini: vers. 1. ma-
gis tamen ut prophetetis. Ratio I. à maiore
re utilitate. Linguae tantum loquentibus.
Prophetiae verò audientibus profundunt ad
institutionem, hortationem, consolatio-
nem: magis igitur ædificant. At donum
magis ædificans magis est sectandū: vers.
2. 3. 4. Occupatio. Ergo linguae sunt con-
temnendę? Imò, inquit, velim vos omnes
loqui linguis; modò accederet semper
interpretatio: sine qua linguae nihil pro-
funt: vers. 5. 6. Non prodesse probat à
simili: tuba, fistula inconditè sonans est
inutilis, ingrata. Sic & lingua non in-
tellecta: vers. 7. 8. 9. 10. Amplificat lin-
guarum nullitatem à ridiculo effectu:

A videbor barbarus non intelligenti: vers.
11. 12. 13. 14. Ratio II. ab utili prophetiae:
quia idiotæ possunt eam intelligere, &
preces suas conjungere cum ecclesia, cō-
fessum doctrinæ & fidei attestari, di-
cendo: Amen. Linguis non intellectis
calculum addere non possunt: versu 15.
Quid igitur, &c. Ratio III. vers. 20. ex
dicto Iesaiæ, 28. 17. Prophetia semper
est beneficium singulare: sed linguae a-
liquando fuerunt, & sunt poena: vers. 20.
21. 22. Ratio IV. à scandalo cavendo:
ne infideles, audientes vos linguis loqui
non intellectis, rideant vos, ut male-fa-
nos homines, &c. versic. 13. Figuratur
antithesi ab utili effectu prophetiae a-
pud infideles & idiotas, qui erudiun-
tur, & ad fidem alliciuntur, versic. 24.
& 25.

ALTERA PARS parænetica sex ca-
nones tradit de usu charismatum cum
primis prophetiae in cœtib. ecclesiasticis.

Canon